



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.  
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, A. M.DC.XXIX**

Sabbato Post Dominicam II. Qvdrag[esimae].

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56232)

paterfamilias & alios seruos, quales Aposto-  
li, qui omnes martyrio affecti sunt: nisi Do-  
ctores & præcones Evangelicos infinitos,  
qui omnes aut neci traditi, aut ludibrio ha-  
biti, & nefarios & sacrilegos agricolast & in-  
gratos cultores!

Hinc anima duettas oportet heretice, cum  
de vinea iam sermo incidit, strenui & seduli  
agricolæ, qui vineam conductitiam possidet,  
non esse eandem destruere & demoliri, aut  
nouas turres & propugnacula constituere:  
alia torcularia imponere, sepes eas noua qua-  
dam ratione flectere, atq; ex hac vinea alias  
vvas condere, quem admodum te tuique si-  
miles facere videmus: qui nouam Ecclesiam  
creditis nouas disciplinæ ceremoniarumq;  
interpretationes fingitis, noua Sacramenta  
erogatis & cõmunicimini. Mihi credite,  
nihil hic immutandũ, at prima illa vinea ex-  
colenda est, sacre scripturæ sensus, quem SS.  
Patres proposuerunt, retinendus, traditiones  
Ecclesiæ seruandæ, eiusq; institutum præce-  
ptaq; sine vlla deprauatione custodienda.

Fructus,  
quos Deus  
a vinea cõ-  
doctoribus  
exigit.

Verum ò Christiani quid statis hic tota  
die otiosi? quid agetis in vinea Domini? ecce  
paterfamilias fructus in ea exigit: fructus in-  
quam misericordiæ, elemosynas quas in  
pauperes & inopes profundatis, exigit cul-  
tum patriæ, fidem, & reuerentiam erga vena-  
bile Eucharistia Sacramentum: fructum  
patientia in afflictionibus, fructum obe-  
dientia erga Ecclesiæ Præfules. Fructus præ-  
dicationis requirit ab Episcopis & vt in dixe-  
cessi sua commoreatur: pacis deniq; fructũ à  
Christianis Principibus. Quos fructus si non  
proferamus: timendum est, ne iratus vineam  
nobis auferat. *Et auferetur à vobis regnum, &  
dabitur genti facienti fructum eius.* Ecce produ-  
cam exempla. Abstulit vineam hanc ab Asia;  
quam S. Ioannes tanta pietate & salutaribus  
instituitis excoluerat: abstulit ab Africa, in  
qua Augustinus tot miracula patrarat, abstu-  
lit deniq; ab Anglia; quæ tot viros tũ sancti-  
tate tum doctrina scientiaque eximios pro-  
geniuit.

Quæ cum ita sint Auditores, vitam oble-  
cro vestram corrigite, ac fructus dignos bo-  
notũ operum proferre. *Auferetur alioquin à  
vobis vinea hæc, & dabitur genti facienti fructus*  
Tom. I. Bessai Quadrage.

eius. Conculerat Sauli regnum Deus, quo-  
cum se indignum redderet: id auferes in Da-  
uidem transtulit. Elegerat quoq; Ieroboam,  
vt decem tribubus præflet, cui beneficio cũ  
vita nequaquam responderet, tanto eum de-  
iecit humilior, quanto eum prius eleuauerat  
sublimior Sodomam in terra fertili & feraci  
condiderat, *erat enim terra illa sicut paradysus, Gen. 17.*  
quæ cum dignos non produceret fructus,  
eam perdidit & incendio deleuit. Decem po-  
pulos regionibus & vrbibus spoliavit, & Is-  
raelitis tributum pendere coegit: eo quod  
fructus bonos nequaquam proferrent, vnde  
Psalmista: *Dedit illis regiones gentium, & labores  
populorum possiderunt. faciamus igitur in hac  
vinea fructus, sedulo in eadem elaboremus,  
ac fructus pœnitentiæ dignos producemus.*

Teq; ò paterfamilias, qui nos magno sane  
nostro commodo in hac vinea constituisti,  
qui nos à primis natiuitatis initijs, Angelorũ  
custodia veluci sede circumsepisti, qui nos  
deindè semper sub excelsæ & inexpugnabi-  
lis dignitatis Pontificiæ turris munimine  
protexisti, qui nobis quotidie pretiosum re-  
galis tui sanguinis vinum magno impetu in  
crucis torculari expressum propinas, denique  
qui nunquam Ecclesiæ tuæ vineam excolere  
desinis, nobisq; omnia quæ ad laborandum  
in ea necessaria sunt, abunde suppeditas, sup-  
plices deprecamur, hanc vt nobis gratiam  
concedas, vt cum toto huius vitæ tempore in  
hac vinea laborauerimus, fructus dignos  
pœnitentiæ, bonorumque operum profera-  
mus, tibi que gratum hac in vita obsequium  
exhibeamus, quo in altera deinde gloriam  
tuam contemplari mereamur. Amen.

### SABBATO POST DOMINI- CAM II. QVADRAG.

#### Partitio.

1. De prodiga voluptate.
2. De filio prodigo.
3. De luxuria, & dissipatione.
4. De regione longinqua.

Homo quidã habuit duos filios: & dixit ad o-  
lescentior ex illis patri: Pater, da mihi por-  
tionẽ substantia quæ me contingit. L. 15.

Vu

FIGV.

## FIGVRA.

**H**Abuit magnus ille Patriarcha Isaac, dilecti Deo Abrahami natus, duos filios moribus & vita admodum dissimiles, naturaq; penitus diuersa: vnus quippe, Iacob scilicet, erat supra modum pulcher prudens, parentibusq; obediens, morum lauitate præstans, benedictionibus denique completus: alter vero deformis, pilosus v. visa, vorax; belluo, moribus dissolutis, crudelis, ac ferox, vindictaque sitientissimus. Tales quoq; hodierna nobis parabola ob oculos ponit: videmus hic namque duos vnus patris filios, sed moribus prorsus inter se discrepantes: eorum primus prudentissimus est, laudabiliter educatus, moribus optimis patrique parentissimus: alter autem stultus, & vanus, moribus dissolutis, lurco, ganeo, popinator, denique paucis vt absolnam, prodigus: qui petita à patre hæreditate, domoq; paterna derelicta, agros pererrans, in regiones longinquas dudum euagatus secedit: in quibus cum substantiam cum scortis & meretricibus consumpsisset, tanta inopia pressus est, vt porcos pascere coactus, eorum siliquis & pabulo se saturauerit. Reliquum eius itineris, & quamnam via ad patrem redierit scietis, cum Spiritus sancti auxilium precib; Matris expostulauerimus. Dicamus igitur vnaui mes

## Ave MARIA.

*Y.  
Eic. in Car.  
maiore.*

*Mel non  
esse plenis  
manibus  
comedendum.*

Architas ille Tarentinus, prudens & rerum tractandarum scientia celebris, quo melius in rebus ciuilibus versatum Græcia non vidit, de republ. conseruanda agens, diæte solebat: Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominib; à natura datam; qua cum ciues infecti essent, de reipubl. salute, ac conseruatione penitus esse diffidendum. Hinc Dionysius Sophista inuentutem Græcorum admoenebat, ne plenis mella manibus vorarent; sed extremis tantum digitis ea delibarent: quo apophthegmate docere volebat, non esse prodigalitatem in feruida illa ætate permitteendam, nec luxum dissolutionemq; vq; æquaque communes esse de-

bere: cum enim semel ab eis Respublicas extigit inquinari, penitus illas concidere & multas corruptionum fordes contrahere, necesse est.

Referunt sacra volumina, principem Ionatham post stragem Philistinorum, gustato tantum melle, ad mortem esse condemnatum: quæ sententia durior cum in eum prolata esset, lachrymans fortunam suam ac tristem rei casum deplorat. *Gustans gustauit in summitate virga, quæ erat in manu mea, paululum mellis. & ecce ego morior.* ò vere insignem allegoriam! significat hocce mel, voluptates, quas vbi vel gustauerimus, sæpenumero nobis mortem & exitium afferre solent.

Est, verissimum, nihil esse voluptate, aut pestilentius, aut deterius, atq; ex profusione omnem penitus voluptatē originem ducere, si n. verum illud est, *Propter quod unumquodq; tale, & illud magis tale:* etiam prodigalitas, quæ à voluptate perniciosa, vna cum aliis innumeris vitiiis originem trahit, per timenda erit, & fugienda.

Ipsi quoque Ethnici ad eā partem hæc prodigalitatē abhorruerunt, vt qui ea notati sunt, semper condemnauerint, & grauib; suppliciis castigandos censuerint. Erat apud Græcos singularis quædam in prodigos & afortos lata lex: qua paterno tumulo inferri vctabantur ij, qui cum hæreditatem paternā possessionesq; à maioribus relictas inutiliter consumpsissent, & in prohibitos vsus conuertissent.

Consueuerant Romani teste Ælio Spartiano in Hadriano, prodigos in theatrum producere, vt omnium ludibrio expositi ad sanio rem mentem redirent.

Magnus ille ac celebris Legislator Solon inter ceteras leges, & hanc tulit, vt prodigi & Solon. patrimoniorum gurgites toto vitæ tempore infames forent: additque Pandulphus, inter ceteras veteres Atheniensium leges hanc quoque in archiuis reperiri: *Τὸ εὐχρηστὸν ὄνομα δὲ τῶν ἄνθρωπων ἀπὸ τῆς ἐπινοίας.* Inque rei huius confirmationem scripsit Plutarchus, summi illius ac nobilis ducis Phœcionis filium Phocum, omnibus opibus, quæ tam egregiè ei pater magna sua laude partas reliquerat, inutiliter consumptis, ignominiam infamiamq; subiisse, omni-

omniumque ludibrio, & cachinnis expositum vixisse: adeo, ut lupus voracissimus, dedecus & ruina familiae; maiorumque suorum infamia ab omnibus vocaretur.

Juriconsultorum princeps & coriphæus Julius Paulus his omnibus suffragatus ait, Jura civilia seuerè admodum in prodigos animaduertere, & eos à bonorum suorum administratione prohibere: quibus Pater olim in Roma hac formula interdixit: *Quando tibi bona paterna habita, ne quicquam tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi care, commercioque, interdico.* Recordemini quoque Juriconsulti præclarè illius legis, quæ à tanto tempore in prodigos lata est, *Prodigio bonus interdictum esto.* O leges vere diuinas, & republicas bene institutas!

II. Non sufficiebat porro Areopagitis, qui summus apud Athenienses magistratus erat, prodigos infames reddere, verum eos & morte veluti perduellionis, aut grauissimi in reipublica commisi criminis eos piectebant. Ne vero me fabulas narrare putetis proferam vobis præclarum ex Athenæo exemplum. Quidam enim Democritus apud Arcopagitas prodigalitate infamatus, quæ primò ab iis morti adiudicatus est: verum cum in defensionem sui innocens adderet, prodige quidem sese bona dissipasse aut pauperum frugaliter impendisse, verum non ut voluptati, sed, ut philosophiæ liberius operam daret, omnium suffragiis quam primum fuit absolutus.

Quamobrem Auditores, si tanto peccatum id odio Ethnici persecuti, adeo execrati sint, ac tam seuerè punierint, quanto odio Christianos id prosequi ac derestari par est? quod ipse Dominus in Evangelio satis innuit. Cum enim in deserto quinq; hominum millia quinque panibus, & duobus pisciculis non sine miraculo cibasset, colligi reliquias iussit, & ostenditur ceteris: *Colligite, quæ superauerunt fragmenta.* Quid diuersis rationibus, anæ post tantam liberationibus, litatem ostensam inopem te & avarum ostendes? Nequaquam, sed nihil aliud designare volebas, quam quemadmodum in rebus necessitatiis conferendis liberalis extitisti, ita in rebus te superfluis prodigum dici noluisse: aliam huius rei figuram in Exodo habemus. Noluit Deus filios Israel plus manna colligere,

quam iis in diem necessarium erat: noluit quoque eos in multos id dies coacervare, verum ut in singulos dies colligerent, quo hac ratione nobis ingentis huius peccati turpitudinè ob oculos poneret, & ab eadem nos penitus absterret. Verum præter hæc, ecce vobis aliud in hodierno Evangelio insignis prodigi exemplum, ut hinc quam hoc peccatum execrandum detestandumque sit, liquido appareat. Historiam Lucas Evangelista narrat. *Homo quidam habuit duos filios, etc.* De hac igitur parabola loqui incipiamus, videamusque quid in inuolucris hæc obscuritatibusque lateat inclusum. Homo hic, duorum illorum filiorum pater, quem parabola hodierna designat, meo quidem iudicio, Pater æternus esse videtur. Hac enim ratione eum quotidie compellamus, *Pater noster, qui es in caelis;* Duorum inquam, filiorum pater, iusti scilicet, qui primogenitus est, & peccatoris, qui iunior ac secundo genitus: primus frugi & prouidus, alter prodigus & dilapidator. Iste est magnus ille Pater Abraham, in cuius familia duo fratres diuersis plane inter sese moribus commorantur, Isaac nimirum obsequensissimus, & Ismael idololatra. Ipse est senex ille Isaac, qui domi geminos alit, aarura penitus discrepantes, Jacob quidem benignum & moribus suauissimis, per quem iustus designatur, & Esau prophanum & agram, qui peccatoris figuram gerit; ambos scilicet in eodem Ecclesia vtero educatos, quam nobis fecunda illa Rebecca repræsentat. Iste est magnus ille Noë, qui in Ecclesia suæ arca, coruos, peccatores nimirum; & columbas, iustos scilicet, continet. Denique ipse est magnus ille piscator, qui in reti prouidentia bonos & malos pisces, homines inquam, probos & improbos, in mari mundi huius, instar piscium, natitantes concludit. Ipse demum est hic: *Homo quidam, qui habuit duos filios.*

Figura.

Gen. 2.

Gen. 12.

Gen. 7.

Matth. 13.

Virtus & honesta

Vu 2 liceat,

vi a filiorū  
est patrum  
gloria: dicitur  
Man. ho. 5. 9.

Conceptus  
præclarus.

Gen. 4.  
3. Reg. 11.

2. Reg. 11.

liceat, vitia, dissolutiones, ac sceleratâ filiorū  
vitam, parentibus pudorem, amaritudinem,  
dolorem, ac denique mortem sæpenuero  
aff. ire. Considerate, igitur, Auditores, ac vo-  
biscum perpendite, quam afflictione, quo-  
ue dolore infelicem hunc patrem par sit affi-  
ci, qui non nisi duos filios, cum habeat, co-  
mum alterum dissolutum nactus est. O primi  
nostri generis auctor, Adam, cum domum ac  
familiam tuam diligentius excutias, patrem  
plane similem huic nostis, te fuisse compe-  
rio: intuenio namq; in familia tua iustum &  
innocuum, Abelem scilicet, & simul scarium  
& prodigum Cain. Similis quoque tua fuit  
conditio, Rex David, atq; eadem p'ane fors:  
fuit tibi namque sapientissimus iuxta & pru-  
dentissimus filius, Salomon; & alter impro-  
bus & prodigus Absolon.

Verum quam multos deinde huiusmodi  
parentes vidisti, ô munde! quot filios etiam  
prodigos! prodigos inquam, qui luxu, disso-  
lutionibus atque impuris vitæ voluptatibus,  
exiguo temporis spatio, perdunt & dissipant,  
quidquid miseri parentes tot annis tanto-  
que labore ac difficultate, ac tanto sudore  
pepererunt: qui etiam in quibus nati sunt  
domos, ad gulæ abdomini satisfaciendum,  
distrahunt ac diuident? Atque ecce egre-  
giū, quod huc facere videtur Diogenis Cy-  
nici dictum. Cum enim ille quadam die per  
urbem incederet, videretque signo appense,  
ædes prodigi cuiusdam & alori venales esse,  
cauillari incepit ac dicere: *Si uebam te post tã-*

Lib. 4. c. 10.

*tam ebrietatem, ades etiam has euomere debere.*  
Athenæus autem & aliud, priori non infe-  
rius, de Cetesippo quodam refert, qui adeo  
prodigus & nepos fuit, ut omnibus bonis fa-  
cultatibusque dilapidatis, quo voluptatibus  
ac gulæ satisfaceret, etiam paterni sepulchri  
lapides vendiderit. O prodigalitatem inau-  
ditam! Videtisne alciones, propinaces, lur-  
cones, quo non vos vestra perducatur inglu-  
uius? videtisne ad quamnam inopiam ege-  
statemque luxu & abdomen miserum hunc  
nostri prodigum redegerint; ut & porcos  
pascere fuerit coactus, & fame propemodum  
emortuus; illum inquam, qui tam honestis  
natus parentibus tam nobilibus oriundus erat  
prosapia.

Non erunt, mihi crede, hæc tripudia, lusus,  
munera iactantia, ac quotidiana comesta-  
tiones, perpetua aut diuturna ô prodige.  
Vide ne tristior aliquando fortuna te affligat,  
aut illa, quæ modo læta aridet, vultum a te  
auerrat, & ad pauperiem egestatemque te mi-  
serum tãdem compellat. Philosophorum o-  
mnium columen Plato, cum adolescentem  
quendam bonis & honestis ortum parenti-  
bus ac generosa oriundum profapia, cum fa-  
cultates bonaq; omnia turpiter dilapidasset,  
quadam die frustum panis. fici in angulo  
platearum comedentem vidisset, ei illudens  
dixit: *Si moderate prandisses melius iam conas-*

Dicitur Pla-  
tonis in in-  
uenit pro-  
digum.

*ses. Inauere cupiens, quod si meliorem rerum  
suarum rationem habuisset, nunquã ad hanc  
calamitatem fuisset redactus.*  
Refert de alio quodam Philosopho factū  
& dictum non ab simile. *Ælianus: qui Philo-*  
*sophus dum Agrigentinos iudices superbas*  
*ædes extruere, & gulæ ventrique videret in-*  
*dulgere, iocans dixit: Agrigentini adificant*  
*quasi semper victuri, & comedunt quasi sem-*  
*per morituri.*

Lib. 12. 7o  
Philosophi  
cuiusdam  
dictum.

At equidem longe meliori ratione hoc  
de vobis dixerim, ô prodigi, ventris gulæque  
mancipia, vestroq; nati abdomini, atque in-  
dissolutam vestram viuendi rationem. Vos  
luditis, inepititis, dissolutionibus euagami-  
ni, & voratis quasi crastina vobis die ex hoc  
mundo discedendum foret, cum plures vo-  
bis forsitan anni supersint.

Et nunc patres intelligite: miseri inquam  
patres enecatis vos ipsos laboribus, ut opes  
acquiratis, domos extruitis, pecunias & an-  
nua vectigalia coaccruatis, ac sepe cõtingit,  
hæc omnia prodigis hæredibus relinqui, qui  
vix biennij aut triennij spacio deuorant, dis-  
sipant ac dilapidant, quod vos quinquaginta  
vix annorum sudore, industriaq; assidua pa-  
rauistis. Huius rei ergo venit mihi in memo-  
riam præclarum illud Cræteris Thebani Phi-  
losophi factum, qui cum, teste Laertio, mor-  
tali vicinus testamentum condidisset, omnia re-  
bus Philo-  
bona, quæ in prompta pecunia erant, nūmu-  
lariis Reipub. in manus tradi voluit, ea tamē  
lege, ut si filij futuri essent frugi; & rerū sua-  
rum satagētes, eadē illis cõsignarent, sin mi-  
nas, denegarent, & in altos vsus cõuerterent.

Laer. lib. 5.  
Factū Lau-  
dabile Cra-  
teris Philo-  
sophi.

Simile

*De lib. 3.* Simile propemodum refert Brusonius, de summo illo duce Phocione, qui cum magnam vim auri, quae ei offerebatur, repudiasset, aliis vero argentibus, ut si non in usum suum, filiis saltem eam acciperet, dignum se responsum dedit. *Si filius vitam morosq; composuerit, vivet paterna hereditate contentus, si prodigus fuerit: nec hoc argentum suffecerit.*

At tu o Pater Evangelice; non ita te cum filio gessisti, Phocionem hoc in genere non es imitatus: verum opibus & facultatibus, quas in sudore vultus tui, laborando assidue, teque ipsum exercendo paraveras, traditis, eidem dissolutionis & luxuriae habenas laxasti: tantumque abfuit, ut tibi gratias ageret, ac obsecundaret, ut ultro deseruerit, paterna domo profugerit, in regionem longinquam secesserit, in qua substantiam omnemq; facultates, prodige & luxuriose vivendo, voluptatibusque indulgendo, haurita longo temporis spatio dissipavit: eaq; te ignominia, contumeliaq; ac simul familiam universam affecerit, ut fame extimulante stipem postulauerit ac subules factus fuerit.

III. *Dissipavit omnem substantiam suam vivendo luxuriose cum meretricibus.* Duabus potissimum rationibus filius hic prodigus ad tantam inopiam calamitatemq; devenit, gula scilicet & luxuria ventri scilicet & Veneri indulgendo.

De luxuria hic agamus. *Vivendo luxuriose cum meretricibus.* quos, eheu! prodigos perdidisti infelix luxuria: fuisti, quantum colligere quidem datur: & tu o Samson, de prodigorum numero: paterna enim domo relicta, in nescio quam longinquam regionem profectus, in terram scilicet Philistinorum, ubi amore pellacis Dalilae irretitus, luxurioseque cum illa vivendo, omnem substantiam, & ipsam deinde vitam consumpsisti, adeo, ut comiseris calamitatisq; deveneris, ut ad pistrinum bestiae in more fueris compactus: fuisti & tu prodigus o Sicheon, cum enim regali sanguine oriundus, & Diadematis insecutus, eam constupratam abduxisses, simul & vitam & regnum amisisti.

At nullum magis prodigum, aut magis profusum, quam te invenio, o rex Salomon. Timore enim Dei, non secus ac domo paterna relicto, atq; in regionem longinquam se-

cedens, summis in deliciis, luxu, voluptatibusq; tot meretricibus stipatus, septingentis scilicet reginis, ac trecentis concubinis, vitam traduxisti, ac demum omnibus divitiis donis perfectionibusq; coelestibus, quibus cumulus eras, dissipatis & profusis, ad eum calamitatis gradum pervenisti, ut idolis victimas immolares. *Cum meretricibus.*

O ingens iuventutis exitium, ac pestem adolescentiae! *Qui nutrit scortum, perdit substantiam suam, ait sapiens.* Ipsa namq; meretrix hirundinis instar, cum semel homini adhaerescere inceperit, omnem eius sanguinem exsugit, omnes opes facultatesq; exhaurit & elicit; simulq; peltis est, quae sapientissimos sanctissimosq; viros contagio suo corrumpit. Praevit mihi namq; Salomon dicens: *Vinum & mulieres faciunt apostaturo sapientes.* O sirenes, o canes, o lupa, o pellices, quot adolescentem optimo nato loco perdidistis, quot domos exhaustis? quot familias evertitis, & infames reddidistis?

Refert in hanc rem Athenaeus, nobile illud Graeciae scortum Phrynem, tantas opes divitiarumq; sui corporis enulgarione comparasse, ut civitatis Thebae, quae una de numero magnarum Graeciae civitatum erat, muros, iam ab Alexandro Magno dirutos, propriis sumptibus restaurare potuerit, quod a Magistratu ultro, sibi ut liceret postulavit, modo haec epigraphe adiungeretur: *Alexandri evertit, Phryne meretrix erexit.* O rem vere portentosam ac pene incredibilem: quot illam lupam domos oportuit evertisse; quot familias expulasse & exhaustis, tantas ut opes accervaret, quo tantum tamq; vastum opus ausa fuerit moliri?

Addit de eodem scorto Plutarchus, eo illam impudentiae devenisse, ut in templo Apollinis Delphici statuam Veneris ex auro solido dedicare non erubuerit, hac addita epigraphe: *Ex Graecorum intemperantia.* idem & scribit Laetius; sed adiungit insuper Plut. Cratem Philosophum cum quoda tempore hocce templum ingressus esset, hancq; ingentem statuam esset intueus, dicere coepisset: *Graecorum de perulatia id trophaum erectum est.* ecce hic exunias de prodiga nostra ventura iuxta. Quando vero vos, o Veneris statue

In meretricibus inuehitur.

tuas, vos meretrices, vos Gallia nostrae Phytone & Laides superbiennes & circumadornatas intuemur, an non dicere, imo exclamare multis cum lachrymis poterimus: Gallorum de petulantia in trophaeum erectum est. Haec auro pictae vestes, haec auro intertexta sarmata, gemmae illae, haec pretiosa conchylii, luxus ille & totius corporis splendor, iuuentutis nostrae sunt spolia, de dissolutionibus adolescentum hoc fixum trophaeum est. Et sane frontibus vestris intor adamantes, & reliquos capitis uniones, hoc epigramma inscriptum geritis, Ex Gallorum imperantia: Integra enim parimonia, domus bene instructa, cubacula suppellectilibus referta, insumenda forent, antequam vestes haec holosericas, byssinos holce sinus quis compareret. O pestes! o viperas! vos prima prodigo huic exitij causae extitistis. Dissipauit omnem substantiam suam uiuendo luxuriose.

Insignes de prodigalitate conceptus. Insignes de profusione conceptus.

Verum praeter luxuriam & intemperantiam Veneris, nepos hic & prodigus non nisi de epulis conuiuibusque loquebatur. O prodigalitas incomparabilis: id ipsum tu cum homine agis, quod cum Noacho olim vinum: cum enim ille vino inebriatus esset, factum est, ut vereda eius detecta fuerint, turpitudoque toto mundo patuerit: ita & tu, cum hominem nescio quibus voluptatibus inescas & inebrias, nuditatem eius, calamitatem, paupertatemque omnibus omnino mortalibus patefacis. Quod olim Samsoni Dalila, id tu homini: amplexibus enim illa suis eum stringens ad somnum inuitauit, & crines capitis, in quibus omnis eius fortitudo consistebat, detondit. Tu quoque o infida Dalila, in sinu turpium voluptatum reclinatos hosce prodigos ad suauiter dormiendum cum inuitasti, crines & omnem caesariem iis rones, omniaque in quibus eorum vis consistit, aufers & refecas.

Exod. 32.

Aaron cum vidisset filios Israel auro & opibus onustos ex Aegypto rediisse, omnes eis opes abstulit, & idola ex eis conuulit. Eadem prorsus prodigalitati agendi ratio est: cum enim filios familias e pueritia excedentes, opibus onustos vider, caute & subdole eas extorquet, ut in idola consentent, ut iis scilicet ad committenda peccata, ad idololatriam, & gulam, & in scorta, quae totidem ferme auti

viculi & idola sunt, aburantur; quo in loquendi genere D. Paulum secutus sum, cum ait: Quorum Deus venter est.

Viuido luxuriose. O profusio, omni supplicio digna, quot tu, obsecro, in orbe superfuitates, & quae non luxu excreasti? Vltima Aegypti regina Cleopatra tam splendida & dapale Antonio suo epulum parauit, ut in secundam mensam, referente Plinio, centies sestertium impensum fuerit, id est, calculo nostro septingentae quoquaginta auri librae. O profusionem effusione inque inauditam! Ecce tibi & aliam non minus admirandam. Vitellius proximus ab Othone Romano Imperatoris epulas trifarum semper dispertiebat, in ientacula, & prandia, & conas: nec minus singuli apparatus quadringentis millibus nummum constabant. At dignam ingluuie gulaque suam poenam subiit: vix enim Vespasianus Imperator ab exercitu reuocatus fuit, quin, edacitatis hoc gulaque potentum, comesta totique ille infamis, iniecto ceruicibus laqueo, veste discissa feminudus in forum vincto, inter magna rerum verborumque ludibria, tractus sit.

Non grauabor de Regum rex Salomone, post Ethnicos etiam te recensere, & nisi scirem omnia opera tua mysteriis iuisse plenissima libere ausum confiteri, nullum te unquam in mundo profusorem extitisse: de te enim ita scriptura quasi de re inaudita locuta est: Erat autem cibus Salomonis per dies singulos XXX. cori simile, & LX. cori farina, X. boues pingues, & XX. boues paucos, & C. arietes. excepta venatione feruorum, caprearum, atque bubalorum & auium altilium. An non hoc vobis luxuriose viuere videretur?

Redeamus iterum ad profanos, & noua profusionum genera enarremus. Cum ad Lucullum Senatorem, Romanorum Praetor postulatum misisset, ut aliquot ei vestes in ludos & spectacula praebere: quamprimum centum millia eiusdem formae & coloris, purpurei scilicet, misit.

Tantus quoque Heliogabali luxus & splendor fuit, ut balnea eius semper rosaceam aquam spirarent, in iisque lauaretur, lampades eius balsamo semper collucetent, in croceostereter strato, & vestes quotidie nouas indueret. Caligula vero nepotinis sumptibus omnium

Philipp. 4.

Sabel. lib. 2.

Reg. 4.

Lamp. m. Heliog.

Pec reg loq fig

omnium prodigiorum ingenia superauit, qui pretiosissimas margaritas aceto liquefactas forberet, conuiuis ex auto panes & obsonia adponeret: de cedris Libanaicas fabricaret, gemmaris puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum & porticuum & tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate: denique qui nihil tam efficere concupiscebat quam quod posse effici negaretur.

Porro profusiones has & effusiones effrenatas relinquamus, & ad prodigum nostrum reuertamur, audiamus ut triste suum iter narans singuliat: nisi me mea fallit opinio, veram tui hic, o peccator imaginem contemplor, hæc mutato nomine de te fabula narratur: tu scilicet ille es prodigus, prodigus inquam, quo plures nemo vquam ab hominum memoria opes gratiarum, donorumque celestium diuitias prodegit ac dissipauit. Fare age, casum nobis tuum enarra. imprimis ecquæ illa longinqua est regio, in quam paterna domo relicta, secessisti? peccatum scilicet vere longinqua regio est, & extra anni solisque vias posita, in quam peccator demens & imprudens secedit, & in qua omnes gratias, omnia merita dilapidat ac deoquit, cum voluptatibus adulteratur, & in qua vitiorum porcos pascit. *Abiit in regionem longinquam.* O spiritualis prodige, o infelix peccator, cum Deum deseris, & in vitiorum regionem diuertis, quam longum iter ingrederis, in quam longinquas, proh dolor! terras proficietis? Longa nempe à peccatoribus salus. Quanta inter gratiam & peccatum, inter cælum & terram, inter vitam ac mortem, inter capedo, quantaque distantia est? Ipsi Angeli, spiritus inquam, cælo deturbati, licet adeo pernices sint & agiles, cum iam à sex annorum millibus iter hoc ingressi sint: nondum tamen ad domum paternam reuerti sint: aut vllò vquam tempore reuertentur. Cain quoque, Pharaon, diues Epulo infelix hoc iter assumpserunt, ac nondum redierunt. Eheu, quam longum hoc iter est quâ remota regio? Cum miser Adam eiusque coniux Eva cum tota sua familia hanc viâ ingredi præsumissent, adeo aberrarunt & deuiarunt ut quatuor aut quinque iam annorum millibus exitum re-

perire non potuerint: quin & ad hanc usque diem errantes & vagabundi hæsisserunt, nisi ipse clementissimus Deus eos reduxisset. Cogites igitur tecum peccator, vbinam locorū te ille quæserit? quæsiuit te in præsepio in Ægypto, in deserto, in cruce, in sepulchro: in ipsi denique inferorum sedibus proh dolor! an non igitur te in longinquam regionem peccatorum perduxit?

Quos porro casus in hac regione longinqua subijsti o peccator, o prodige! *Dissipauit animam omnem substantiam suam.* Hic status est, hic peccatorum locus in quem te vnicam letale peccatum sæuiat, conijcit: omnibus te gratijs quas cælitus accepisti, denudat, meritis te exuit, omnemque tuam substantiam evertit. Tunc tristis ille tibi ingruit casus quem Christus plorans Ierosolymitanæ ciuitati euenturum prælagit. *Veniens dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & constringent te undique & ad terram prosteruent te, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Sic quoadocunque animam à peccato contigerit superati, non manet in ea lapis super lapidem, gratia super gratiam, domus super domum, omnia collabuntur, sola fundamenta restant, eaque etiam mutila & ruinam minitancia: fides inquam semimortua. Tum fit o Philosopho, *resolutio & que ad materiam primam, vsque ad fidem, vsque ad naturalia.* Hoc nempe est illud, quod Dominus per parabolam de seruo mille talentorum debitore, cuius omnia bona diuendita sunt, designatum voluit: *Iussit enim Dominus eius venditari, & uxorem eius, & filios, & omnia que habebat.* Ira quoque tecum agit o peccator, omnis animæ tuæ supellex eripitur, omnia substantur, nihil est quod crudeles illi ac nefarii lictores, dæmones scilicet infernales, peccato iam commisso, violententer non eripiant. *Dissipauit omnem substantiam suam, admiratione dignum est Auditores,* ecquo modo D. Cyprian. hoc exaggeret, illudque explicando euagetur: *Hæc sunt, inquit, peccata lapsis quod grando frugibus, quod turbulentiâ fidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod nauis saua tempestas.* Cum de nauis hic loquor, redit mihi in memoriam, quod olim pauidi illi nauæ Ionæ Propheta præstitere: cum n. ingens eos tēpestas inuaderet, ut scab.

Peccatum  
regionem  
longinquā  
significat.

Luc. 19.

Matth. 18.

Cyp. ser. 38.  
de lapsis.

Ioan. 2.  
Allegoria.



se ab imminente periculo defenderet, nauem exonerarunt, & omnib. quas uehebant mercibus in mare turbidum coniectis, Ionam quoque Prophetam in undas precipitem dederunt. Ad eundem plane modum, cum saua peccati procella animæ ingruerit ipsi demones nauem inanem & vacuam reddunt, ac primo omnes gratiarum, meritorum, omniumque bene ac recte factorum merces ac thesauros in pelagus, pelagus inquam æternæ damnationis, coniciunt, ac deinde miseram animam eodem deturbant.

Quemadmodum vero magnus ille fluuius Hypanis, licet dulces secum aquas uehat, ubi cum paruo quodam amne commiscetur, dulcorem amittit; & amaritudinem quandam contrahit, ita quoque anima virtutibus & meritis instar latissimi torrentis abundans, cum enim amara illa peccati uena ac scarurigo in eam sese exonerat, confestim aquæ eius dulcissimæ, in amaras conuertuntur. O infelix peccatum! quantum malitiæ & exitij tecum conuehis. At longe tu infeliciores, o peccator, dum tam benignum patrem deseris, ut in regionem longinquam, adeoque tibi infortunatam, in qua extrema fame affigeris, in qua omnem tuam substantiam dissipas, in qua tanta tibi accidunt infortunia, secedis? Quobrem expergiscere aliquando o prodige, expergiscere, aperias tandem aliquando oculos: si ea tua fuit insania, eaque stultitia, ut iter hoc fueris ingressus, iam reuertendi tempus est: ecce opportuna redeundi occasio se præsentat: ecce, Deus ipse ultro te querit, & te ad sese uocat. Egrede igitur, desere lutulentos hosce fues, desere pellaces illas meretrices: ac patri tuo ad genua ac pedes prociide: illi cum lacrymis, suspirijs ac singultibus: *Pater peccauit in calum & orare*; In calum inquam, iucundissimam Angelorum societatem, ac suaue illud Beatorum consortium deserendo ut me porcis adiungerem. Peccaui, fateor, coram te, & malum coram te feci, unde grauius supplicia sum commertus: verum adeo misericordiæ tuæ confido, ut certo sciam fore mihi ut ignoscas: tu enim es, qui non desideras mortem aut damnationem peccatoris: tu, inquam, qui adulteros reuuis condemnares, tu qui miscellæ Chananæa miserus es: tu

denique qui poenitentes Magdalenas in gratiam admittis: itaque non dubito, quin & mei, inquam, miseri prodigijs miserurus, quædam mea, prohi dolor, fuit calamitas! heu miserum me! quomodo ita me seduci, & fascinari permisi: ita me decipi ac demerari: ut domo tua relicta in hocce infelix desertum secederem, desertum dico in quo omnes fame moriuntur, fame se, gratiarum, quas nobis soles elargiri: mercenarijs tuis & seruis familias (sanctis inquam & Angelis) in summa quiete ac tranquillitate interea uiuentibus? Misere igitur mei Pater æternæ, respice prodigum hunc, conuerte misericordiæ tuæ oculos in hunc Christianorum cœtum, benignitatem tuam omnibus hominibus ostende: nosque omnes, magna animi contritione ac poenitentia, è regione illa longinqua peccati redeuntes in domum tuam, ubi splendida illa ac festiua cœnuiua parata sunt, & ubi perfecta securitas, & securæ tranquillitas est, dignanter admitte: in gloria se cœlesti, ac nullo unquam tempore terminandam: ad quam nos Pater æternus, Filiusque eius, ac Paraclitus Spiritus sanctus perducere dignentur, Amen.

### DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

#### Partitio.

1. *Odia ac prælia Christi & Satana.*
2. *De potentia ac malitia Satana.*
3. *Cur Demon suos obcæcet?*
4. *Cur elinguet?*
5. *Cur surdefaciat ad diuitios suos Cæcodamon.*

*Erat Iesus eiciens demonium, & illud eremutum.* Luc. II.

#### FIGURA.

**I**Veundum profecto spectaculum fuit, Auditores, pusillum illum pastorem Dauid, 1. Reg. 7. qui in Iudææ montibus patris sui greges pascebat, continuo in leonem qui onem diripuerat, insurgentem eumque prosternentem, & prædā iam raptam faucibus eripientem, ac baculo effugantem, intueri. An multo iucun-